

in derelictum ab aere locum intra cucurbitulam, ab aere ambiente exprimi ita-  
tuamus, (qua de re fusiùs loquens videri potest Sincl. Lib. III. Dial. II. p. m. 290  
& seqq.) vix tamen possimus negare, quod attinet cutim & carnes unà cucur-  
bitulam subingredientes, quin aliquid saltem veræ & propriè dictæ tractionis  
interveniat. Quamvis enim caro cutisque ipsi cucurbitulæ subjecta ab exun-  
dante sanguine veriùs propelli ac intrudi dicatur, in partibus tamen vicinis  
non sensus tantum adtractionem quandam earum ad cucurbitulam tanquam  
ad centrum observat, sed ratio quoque negandi, quâ superiùs eramus usi, nunc  
cessat, siquidem carnis incarceratus tuberculus cum vicinis istis partibus con-  
tinuus, quò altiùs affurgit, eò secum longiùs eas abducit. Interim primariam  
phænomeni causam à comprimendis aeris elaterio arcessendam esse, non aliun-  
de clariùs & evidentiùs cognosci posset, quàm si id experimentum ipso factò  
ac cum debita industria institueretur, quod sæpe laudatus Dn. Paschali<sup>9</sup>, nescio  
an ipsemet unquam ceperit. (id enim disertè non dicit) in parvulo Tractatulo  
*De l'equilibre des Liqueurs* c. VI. saltem tanquam certum ac indubitatum pro-  
ponit, his verbis: *Ex eadem causa est, quòd, si quis homo extremitatem alicujus  
tubi vitrei viginti pedes longi (posset autem res etiã brevioris tubo tentari) su-  
perimponat femori, seqq. hoc rerum statu in cupam aliquã aquã plenam demit-  
tat, ita ut superius tubi apertum quoq; orificium extra aquam promineat;  
ejus caro non sine dolore intumescat ea parte quam inferius tubi orificiũ attingit,  
quasi ipsa per ventosam (cucurbitulam scarificatoriam) suã & attracta  
esset; ideò quòd aquæ pondus ejus corpus undiq; comprimens, eã parte exceptã  
quæ subest orificio tubi, quamq; aqua, per tubum intrare non valens, attinge-  
re non potest, carnem ex iis locis ubi pressuram patitur in eum locum quo nulla  
est, propellit. Et quò altior fuerit aqua, eò major est illa intumescencia:  
Et sublatã aquã cessat tumor; imò tunc etiam subsidit, si aqua desuper per tu-  
bum admittatur. Nam aquæ pondere eam partem jam non minùs quàm cæ-  
teras afficiente, non potest illa plus inflari quàm cetera. Hoc enim casu nec  
metus vacui prætendi posset, cum tubus supernè apertus & aere plenus sit, nec  
ulla alia pateret elabendi via. causã tam obviã & evidenti, quã positã effectûs  
ponitur & cujus viribus auctis effectûs augetur, deficientibus imminuitur, quã  
deniq; totã sublatã omnis effectus tollitur, ubiq; obversante.*

## AUCTARIUM VII. TENTAMINIS.

### AD INSCRIPTIONEM.

Ceperunt ante nos hoc experimentum *Valerius Magnus* Warsaviæ in Po-  
lonia, *Paschalius* Rhotomagi in Gallia, *Gaspar Bertus* Romæ in Italia,  
prout singulorum historias prolixè legere licet apud P. Schottum Techn. Cur.  
Lib. III.